



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae  
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

**Febeo, Francesco Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

**VD18 13560743-001**

Tit. IX. De reliquis qui sunt in Sacris constituti

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

dum Sacramentum Confirmationis (cujus cæteroquin ordinarius Minister est Episcopus) claresumitur ex *c. Pervenit 1. dist. 95.* Sed de his inferioribus suo loco sermo erit, quando tractabitur de Sacramentis Ecclesiæ, ubi etiam exponentur tū ea quæ pertinent ad materiam, & formam Ordinis Sacerdotalis, Ordinumq; reliquorum; tum quæ ad qualitates requisitas in Ordinandis. &c.

T I T. IX.

*De reliquis qui sunt in Sacris constituti.*

1. Infra Presbiteram ratione Ordinis immediate Diaconus subsequitur, & infra Diaconum Subdiaconus, qui ambo dicuntur esse in Sacris, quia Ordinem habent castitatis voto sacramentum, unde tenentur ambo ad cælibatum, ut paulo ante dictum fuit.

2. *Diaconus* græcè idem est ac latinè *Minister*: quia sicut in Sacerdote consecratio ita in Diacono ministerii dispensatio habetur *c. Cleros 2. vers. Hi græcè dist. 21. 21.* Ejus enim officium est assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo, sive in Chrismate, & Patena, & Calice: oblationes quoque inferre, & disponere in Altari: componere etiam mensam Domini, atque vestire: Crucem ferre: tempore Sacrificii legere.

legere ad Populum Evangelium ; & etiam Apostolum seu Epistolam cum abest Subdiaconus. Nam sicut Lectori vetus Testamentum ; ita Diacono novum publice legere præceptum est.

3. Ad ipsum quoque pertinet Officium precum, dicendo Litanias, & recitatio nominum Ordinandorum, & baptizandorum, & mortuorum, & excommunicatorum. Ipse præmonet aures habere ad Deum, dicendo *humiliate capita &c.* Ipse hortatur clamare, cum dicit *Kirie eleison* in Rogationibus. Ipse donat pacem. Ipse annuntiat festivitates. Sumuntur hæc ex *c. perlectis 2. vers. ad Diaconum dist. 25.* juncta Glos. ibid. Item in absentia Episcopi, & Presbyteri potest licite ministrare Baptismum, & Sacram Eucharistiam populo distribuere si extrema necessitas id exigat, *c. Diaconus 13. &c. Prasente 18. dist. 93.*

4. Inde est, quod Diaconi appellentur etiam ex hæbraica lingua Levitæ: quia scilicet sicut in lege veteri de Tribu Levi assumebantur homines, qui in Templo Dei Sacrificiis ministrarent; ita in lege Evangelica assumuntur Diaconi ad ministrandum Sacerdotibus in administratione Sacramentorum ex cit. *c. Cleros vers. Levitæ dist. 21.*

5. *Subdiaconus* latinè idem est ac *Hypodiaconus* græce, ideo ita dictus, quia subjacet præceptis, & officiis Levitarum, ex eod. *c. Cleros vers.*  
Hypo-

*Hypodiatonos.* Ejus officium est Calicem, & Patenam ad Altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare: Presbiteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere: oblationes in Templo Domini à Fidelibus ipsis suscipere, & Levitis superponendas Altaribus deferre: Pallas demum, & Corporalia abluere. Sumuntur hæc ex *c. Perlectis 2. vers. Ad Subdiaconum dist. 25. c. Cleros v. Hypodiatonos. dist. 21. c. non oportet 31. &c. Non liceat 32. dist. 23.*

T I T. X.

*De iis qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.*

1. Infra Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, subsequuntur quatuor Ordines, nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus, qui dicuntur minores, & non Sacri, non quod sint sæculares, & prophani, sed quia illis prohibitum est Sacra Vasa contingere, & ad Altare deferre ex *c. Non liceat &c. Non oportet;* ac præterea quia non sunt castitatis voto sacri. Clerico enim in iis Ordinibus constituto permissum est matrimonium contrahere, ut aperte declarant plures textus tit. *De Clericis conjug.*

2. Illud tamen Juris in ejusmodi Clericis matrimonium contrahentibus servandum est, ut si quod beneficium Ecclesiasticum habuerint, sint